



EX LIBRIS  
ILLVSTRISSIMI VIRI,  
DN. DAN. LVDOLPHI,  
LIB. BAR. de DANCKELMANN,  
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
STATVS INTIMI, cetera,  
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
TESTAMENTO RELICTIS.

Ab. 52. i



I. N. J.  
DISPUTATIO V.  
**SELECTARUM**  
**THESIUM**  
**JURIS CERTI & CON-**  
**TROVERSI**

Ex Tit. J. de Tutel. & seqq. usq; ad finem  
Libri i. J. iisq; titulis π. C. Justin. Theod.  
& βασιλικῶν respondentibus.

*Quam*  
**PRÆSIDE**  
**JOHANNE CHRISTO-**  
**PHORO BOLß/**  
J. U. D. & P. P.  
**FRIDERICUS von Lohen/**  
Bartenst. Prusfus.  
**RESPONDENS**  
publicè defendet  
**IN AUDITORIO MAJORI**  
A. d. I. c. LXXX.

---

*REGIOMONTI.*  
Typis FRIDERICI REUSNERI, SER. ELECT.  
BRAND. ET ACAD. TYPOGR. HÆRED.



Prænobilissimo & splendore Generis  
Celeberrimo Domino,  
**DN. LUDOVICO Schimelfennig/**  
Hæred. Dn. in Sünnicken / Kasebalcken/  
Alnau &c.  
Mecœnati Themidos & literarum Colendisuno.  
Ut &  
Viris Nobilissimis, Amplissimis, Consultissimis,  
longo rerum civilium usu atq; prudentia  
Clarissimis Dominis,  
**DN. PETRO Langen/**  
Inclytæ Reip. Cniphovianæ Senatori Meritisimo  
& Præ-nobilissimi Judicij Aulici Advocato  
Famigeratissimo,  
**DN. GEORGIO Höpner/**  
Inclytæ Löbnicensium Reip. Senatori Gravis-  
simo & Judicij ibidem Præsidi Dignissimo,  
**DN. PAULO BELLISARIO,**  
Inclytæ Löbni. Reip. Senatori  
Gravissimo,  
Dominis Patronis & Promotoribus studiorum  
suum omni honoris & observantiae cultu  
etatem prosequendis,  
Dissertationem hanc in sui studiorumque  
suum commendationem  
submissè  
D. D. D.  
**FRIDERICUS von Lohen/**  
Respondens.





Itulis j. d. Tutelis. Qui Testamento Tutores  
dari poss. de Legitimā Agnatorum Tutela. de  
Legitimā Patronorum Tutela & seqq. usq; ad  
Tit. ultimum Lib. i. j. respondent. ff. Libri 26.  
& 27. Cod: Justin: Libri V. Tit. 17. & seqq. usq; ad  
ultimum. Theod: Libri III. Tit. 17. & 18. βα-  
σιλικ. Libb: 37. & 38.

II. In prædictis Libris & Titulis agitur (1.) in genere de Tute-  
lis t.t. j. π. C. Justin. & βασιλικ. de Tutelis nec non C. Theod: d. Tut:  
creand: Deinde in specie (2.) de tempore Tutelæ deferendæ vel Te-  
stamento t.t. j. Qui Test. dar. poss. t.t. ff. C. Justin. & βασιλ. de Te-  
stam. Tut. vel Lege t.t. j. d. Legitim. Agn. patron. parent. & d. Fidu-  
ciar. Tut: t.t. ff. d. Legit. Tut. t.t. C. J. eod. & quand. mulier Tut. off.  
fung. p. t.t. βασιλ. d. matre Tutelam gerente vel à Magistratu t.t. j.  
d. Attil. Tut. & q. ex L. t.t. ff. d. Tut. & Cur: t.t. C. j. & βασιλ. Qui  
dar. Tut: vel Cur. p. t.t. C. Just. d. Tut. vel Cur. ILLUSTR. Si cont. mat.  
Volunt: d. Actore à Tut: vel Curat: d. in lit. dand. Tut: In quib. caus.  
Tut. vel Cur. t.t. ff. βασιλ. & C. J. Qui pet. Tut. vel Curat: t.t. C. J.  
Ubi petantur Tut. vel Cur. Huc spectat Satisdatio t.t. j. d. Satisd.  
Tut: t.t. C. j. d. Tut. vel Cur. qu. satisd. cog. (3.) de tempore delatae,  
quō locum habet administratio t.t. ff. & C. Justin. & Theod. nec non  
βασιλ. d. Administr. & peric: Tut. t.t. ff. & βασιλ. Quand ex fact:  
Tut: vel Cur. min. ag. vel conv. poss. Item officium quod consistit in  
Authoritate & consensu cautè præbendo t.t. j. ff. C. I. & βασιλ. d. Au-  
thor. pupilli: præst. (4.) de tempore Tutelæ finitæ t.t. j. Quib. mod.  
Tut. fin. t.t. ff. C. J. & βασιλ. d. Susp. Tut. t.t. C. I. quand. Tut. ess.  
desin. t.t. ff. & βασιλ. d. Tut. rat. distrab. (5.) De mixtis quibusdam  
quæ modo deferendæ modo delatae Tutelæ conveniunt, idq; ve tum à  
parte Tutoris ut Excusationes t.t. j. ff. C. j. & βασιλ. d. Excusat. t.t. C.  
j. Si Tut. vel Curator Reip. d. Excusat. Veteran. Qui numero Tute-  
larum. tum à parte pupilli t.t. ff. C. j. & βασιλ. Ubi pupill. (6.) De Cu-  
ratoribus t.t. j. d. Curatoribus. t.t. ff. & βασιλ. d. Tut. & Curat. &c.

A

III. Mul-

III. Multa quidem, sed levia, quae nullius momenti sunt, à multis contra definitionem in l. i. ff. d. Tutel. propositam adferuntur in mediis. Primum ait Bachovius ad Treutl. Vol. 2. Disp. 8. θ. 1. Lit. B. proponi à Græculis, Theophilo & Harmenopulo Lib. 2. Tit. 5. qui non rectè intellecta notione verbi *Vis* offensi definiunt per jus quasi jure constituta sive justa potestas sequela quædā Patriæ potestatis *We-senb.* ad Tit. d. Tutel. Treutl 2. Disp. 8. θ. 1. lit. b. Vultej. ad §. i. j. b. t. Manzius ad h. t. n. 2. putant *jus* rectè loco generis esse positum, quia de pluribus specie distinctis potestate videlicet: Dominica in Servum, Paterna in Liberos, maritali in Uxorem, Patroni in Libertum, Abbatis in Monachum & Curatoris in adultum prædicari potest. Sed verissimè Bart. in l. i. b. t. n. 4. vim hic ponit ait pro potentia quadam prout ipsi personæ inest, non prout in alium transfertur, & hoc sensu vim & potestatem esse idem, non vero duo genera, nec potestatem violentam quæ libertatem impedit, sicut vult Greg. 12. Synag. 2. n. 2. eoqve verba hæc synonyma sunt Don. 3. Comm. 1. & consequenter nulla necessitas est ut legamus contraff. Florentinarum Lectionem *jus* & *potestas*, cum hac Lectione convenit quoqve Lex 1. βασιλ. d. Tutel. cujus verba θεωροντι θεωρησαντες καὶ &c. h. e. Vis seu facultas. Nec raro hæc duo vocabula se se explicantia reperiuntur conjunctim §. 3. j. d. Interd. l. 17. π. d. Legib. l. 1. d. Nox. Ad. l. 7. C. d. Codicill. Alterum reprehensione dignum putant esse in verbis in capite libero, quia & in βασιλ. ita ut seruētē habere debent, habentur in caput liberum Verum vetus loquendi modus fuit ut licuerit dicere in capite pro in caput. impensa in rebus dotalibus, pro in res factæ, in hostium potestate pervenire l. 12. qu. Testam. fac. poss. in carcere recipi l. 6. §. 7. d. inj. rupt. irrit. Nec obstant (3.) verba sequentia ad tuendum eum, cum ut Relativa ad tuendum id, se habent rectius, hic enim non ad Vocem sed ad rem pupillum scil. facta est relatio, & ita distincta est potestas Tutoris à Dominica Paterna &c.

IV. Nec (4.) obstat Tutelam I. G. esse, tantum enim quod ad originem ex I. G. descendit cum naturalis ratio præcepit, ut is qui se per ætatem defendere nequit ab alio regatur §. pen. j. d. Attil. Tut. hæcque ratio moribus Gentium approbata ficerit; quoad subjecti tamen qualitatem de qua A. Gell. l. 5. N. A. c. 19. nec non solennia & effectus est *Juris Civilis* scil. quoad satisfactionem, Authoritatis interpositionem, Administrationem excipien-

tit,



tia, concomitantia & subsequentia. Est autem alia permissa Testam-  
entaria & dativa quia Testator vel Magistratus jure permittente  
dant Tutorem. Alia data ex Jure Civili scil. Legitima. His addere  
solent quartam speciem anomalam extraordinariam seu irregularem,  
nonnulli & quintam Quasi Testamentariam. Sed malè quia illa ad  
Legitimam l. 6. C. ad SC. Tert. hæc ad Testamentariam refertur. Ba-  
chovius d. Disp. § 9. lit. E. putat parum differre qua ratione distin-  
guendi utamur Nimirum Tutela est è Jure sive immediatè vel media-  
tè. Item vel est à Lege vel ab homine, & hæc rursus vel à Magistratu  
vel Testatore.

V. *Testamentaria Tutela* est quam parentes liberis in pote-  
state constitutis impuberibus Testamento constituunt, dato Tutore  
vel filiofam: licet enim is subsit P.P. tamen potest suæ potestati alium  
subjectum habere, nec impeditur eō ipso, quia omnia patri acquirit,  
cum non defectus judicii aut consilii sed merum Jus P.P. ex Legibus  
Romanis filiumf. ad acquisitionem reddat inhabilem adeoqve in iis  
in quibus pro patribusfam: habentur ad similitudinem peculii castrren-  
sis & quasi rectè ad administrationem admittitur l. 9. Qui su. vel al.  
jur. l. 7. d. Tutel. l. 21. d. Administ. Tut. vel Servo suo quidem pure  
§. 1. j. Qui Testam. Tut. dar. qui eo ipso directo liber fit, quia ne-  
cessitas eo rem deduxit, ut cum Nemo manumittere queat, alieno  
non nisi sub conditione si manumittatur d. §. 1. in. f. æqve ex inferiori  
ac superiori Ordine Nobili vel Plebejô. l. 15. §. Scire ff. d. Excusat.  
Tut: l. 22. ff. d. Tut. dat: ab his. item Judæo l. 15. §. 6. ff. d. Excus. &  
non municepe dato municipi l. 10. ff. d. Tut. cui non adverlatur l. 3.  
π. d. Tut. & Cur. Wisenb. π. d. 50. θ. 4. Dari verò debent à Patre fi-  
lli heredi instituto vel exheredato l. 4. D. d. Testam. Tut. cui non ob-  
stat l. 73. §. 1. D. d. R. I. qui post fata patris sui juris fit nec in alterius  
potestatem revertitur, sive filius jam natus sit, sive nasciturus, quia  
filii appellatione etiam posthumus continetur §. 1. j. Qu. Testam. Tut.  
dar. poss. & nasciturus prò jàm natô habetur quotiescumqve de ejus  
commodo queritur l. qui in utero ff. d. Stat: Hom: §. cum autem j.  
d. Tut: l. quod dicimus ff. d. V. S. Datô tamen Tutore filio non vi-  
detur is datus Nepoti §. quod si Nepotes j. Qu. Test. Tut: si vero dixe-  
rit Testator se suis liberis Tutorem constituere suis quoqve Nepoti-  
bus & Neptibus Tutorem dedisse intelligitur §. ult. j. Qu. Testam.  
Tut: l. 6. ff. d. Testam; Tut:

VI. Tutores Testamento dati satisdare non coguntur quia fides & diligentia eorum ab ipso Testatore est approbata l. 4. 17. ff. d. *Testam.* *Tut.* & testimonium paternum prò satisdatione sufficit, quod non potest honeste à liberis contemni l. ult. C. d. SC. *Maced.* dummodo utiliter dati fuerint, nam si Tutelæ datio jure non valet, etiamsi confirmatio Magistratus accedat nihilominus quoqve à Testamentario Tuteore satisdatio præstanta est l. 5. ff. d. *Confir.* *Tut.* Habet quoqve Satisdatio locum si Tutela per plures spargatur & alter alteri satisdationem offerat, cum electione ut vel satisdet, vel sibi soli satisdatione accepta Tutelam gerere permittat l. 17. in pr. ff. d. *Testam.* *Tut.* §. Sed si l. j. d. *Satisd.* *Tut.* Investigandum quoqve an Voluntas patris duraverit, si post factum Testamentum Testator diu adhuc vixerit, & scriptus Tutor ob perversos mores de diligentia & fide multum remiserit l. 8. ff. d. *Confir.* *Tut.* l. 4. ff. d. *Testam.* *Tut.*

VII. Legitimæ Tutelæ tunc fit locus quando Testamentarius Tutor deficit, quamdiu enim Tutor ex Testamento speratur, tamdiu Legitima Tutela in suspenso est, & tūm demum incipit provisio Legis, quando cessat provisio hominis l. 11. pr. ff. d. *Testam.* *Tut.* N. 22. c. 2. Agnatis autem reliquis præfertur mater & Avia N. 118. c. 5. Auth. matri C. Quand. mul. *Tut.* *Offic.* non quia liberis succedit, sed propter amorem singularem in liberos arg. l. 14. C. Qui acc. non poss. Ex l. 4. C. Theod. de Tutoribus & Curatoribus creandis constat olim Tutelam matri sub sex conditionibus (1.) nominatim (2.) non invitæ (3.) apud Acta professæ Renunciationem secund. nupt. (4.) præviâ tacitâ obligatione bonorum vitrici. (5.) majorenni. (6.) Deficiente Legitimo Tuteore, fuisse delatam, quæ conditiones in Cod. Justin. partim mutatae partim auctæ.

VIII. Nam (1) Aviæ quoq; delata fuit. (2) non invita ad Tutelam suscipiendam cogitur, ne id quod favori matris datum est, in ipsius præjudicium vertatur N. 118. c. pen. Ult adeò quo ad eam Lex non absolutè, sed cum conditione tantum, si Tutrix esse velit, operetur. (3) Tribonianus in l. 2. C. Just. Quand. mul. *Tut.* *offic.* fung. pot. quæ ex d. l. 4. C. Th. descripta est addidit, *sacramento præstito* ut non nuda promissio sed juramentū requiratur quam sententiā remisso matri jurejurando ob perjuriorum frequentiam Justinianus revocavit N. 92. (4) Mater & Avia hodie solis Testamentariis postponuntur & Legitimis præf runtur

runtur N. us. c. s. eōq; modò benè dicit Cynus Auth. Matri C. Quan-  
mul. Tut. offic. pot. innovare jura antiqua, & matrem Legitimis præ-  
ferre, sed malè: patri & matri Tutelam simul deferre, quia ambo si-  
mul succedunt; pescicuē ex ipsa Auth. constat matrem non admitti,  
nisi quando pater non extat, sicut hoc ipsum colligitur ex Renuncia-  
tione & Testamentario Tutore præferendo, sed quomodo Uxor vi-  
vente marito potest secundis nuptiis renunciare? quomodo ex Testa-  
mento Tutor potest existere, quod vivente Testatore nullas habet  
vires? nec facit quicquam in contrarium ratio à Successione petita  
quæ non concludit in casu, quando succedentes non sunt pariter ha-  
biles & idonei, mater vero existente patre ad hoc munus inepta & in-  
habilis est. In reliquis duabus conditionibus ut mater sit major & vi-  
trici bona tacitè obligentur alter Codex alteri respondet. Jure Saxonico ait Zobel. 2. diff. 15. cautum non reperiri ut mulier Tutrix sit li-  
berorum, licet fateatur hoc à gloss. colligi ex art. II. l. 1. ita ut distin-  
gvatur inter feudalia & allodialia, observantia verò fori Saxonici  
prædictam matris Tutelam si fuerit egressa annum 21. approbavit,  
ut nec impedimento ei esse queat, ratio quia ipsomet Curatore in  
contrahendis negotiis eget Carpz. Dec. illust. 172. n. 6. § 7. Jure Pru-  
tenico Viduæ matres quamdiu non ad secunda vota transeunt posunt  
quidem Tetrices liberorum suorum esse ita tamen ut semper à Ma-  
gistratu Tutores liberis constituantur, quorum consilio omnia gra-  
viora negotia gerant; nec non administrationis suæ necessitate sva-  
dente rationes reddant. P. E. R. L. 2. T. 6. A. 2. §. 6. Num vero mater  
secundis nuptiis Tutela privata denuo vidua eam recipiat? negativa  
probabilior est, nisi fortè Tutelam deposuerit quasi secundas nuptias  
contractura, quæ tamen re ipsâ non sequantur Salicet. & Cyn. in d.  
Auth. matri. Quod ita ferè moribus obtinere & decretis Cameræ  
probari docent Mynsing. cent. 3. o. 83. Bus. in ff. Lib. 26. Tit. 4. n. 11.

IX. Deficientibus deniq; Testamentariis & Legitimis Magi-  
stratus officio incumbit impuberibus Tutores dare olim ex speciali  
concessione l. 3. n. d. Tut. & Cur. quia Tutoris datio neq; imperii  
neq; JCTionis est, sed ei soli competit, cui nominatim hoc dedit-  
vel Lex vel SCTum vel Princeps l. 6. §. 2. d. Tutel. cum quâ non pu-  
gnant l. 1. n. d. JCTione, illa negat Tutoris dationem esse JCTionis  
ordinariae hæc vero dicit eam esse JCTionis extraordinariae adven-  
titiae

fitiae seu legalis, quæ distinctio ex ipso jure desumpta est. Sic Transactio de alimentis relictis non potest fieri nisi ex decreto Prætoris cui scil. specialiter & nominatim ea cognitio tributa est l. 8. pr. π. d. Transf. & tamen ea cognitio vocatur JCTio d. l. 8. §. 18. Cognitio quoq; de alienandis prædiis minorum 25. annis specialiter est mandata Prætori Oratione D. Severi, & tamen JCTionis est l. 1. d. Reb. eor. qv. Donell. 3. Com. 7. § 17. com. 8. Pac. cent. 5. q. 69. Bronch. cent. 1. ass. 13. Wifsenb. π. Disp. 50. θ. 2. Regnerus ad d. l. 6. §. 2. ait hanc q. supervacaneam esse. Imò hodie ferè inanis est, quia ubique magistratus ratione officii, secundum vim JCTionis suæ absq; speciali concessione dant pupillis Tutores Reichs Abschied de Anno 1648. tit. Von Pupillen.

X. Mater si neglexerit liberis Tutores petere amittit spem successionis l. 2. π. Qui pet. Tut. sive ipsa Tutrix esse nolit, sive suscepta Tutela transeat ad secunda vota l. 2. §. 23. π. ad SC. Tertull. l. 3. l. 6. C. eod. Auth. iisdem penis C. d. Secund. Nupt. eodem modo sub eadem privationis poena obstricti sunt reliqui proximi Cognati, ut vel ipsimet Tutelam suscipiant, vel intra annum de alio Tute cei prospiciant l. 10. C. d. Legitim. hered. hanc tamen privationis poenam in quatuor casibus cessare docet Carpz. Dec. illust. 286. n. 5. § seqq. (1) in iis qui tum temporis proximiores non sunt, quippe quibus jus successionis non defertur. (2) Si pupillus pubes factus decedens presumatur injuriam vel negligentiam eis remisisse Ant. Fab. in Codic. lib. 5. tit. 18. defin. 2. n. 2. (3) Si pupillus intra annum decedat tunc nondum elapso ad petitionem indulto anni spatio nulla poena locum habet d. l. 10. C. d. Legitim. hered. (4) Si non expedit pupillo dari Tuteorem, aliavè justa causa veniam aut excusationem subministret, eà ratione moti Scabini Lipsienses Anno 1650. poenam privationis ex causa cessare responderunt Carpz. d. l. Jure Prut. mater vel proximi cognati intra quatuordecim dies aut ad summum tres septimanas post fata parentis magistratui obitum defuncti denunciare & Tutores denominare debent, quod si intra annum sine justa causa non petierint & pupilli impuberis absq; Tutoribus decesserint ab omni Successione excluduntur L. R. L. 2. T. 6. A. 3. §. 5. § 6.

XI. Senatoriis pupillis & adultis ex alio quam Senatoriō Ordine Tutores & Curatores dari posse docet l. 3. C. Th. d. Tut. & Cur. creand.

creand. quam Constitutionem Tribonianus directe retulit ad adultos  
& impuberis illustres vel Clarissimos in l. i. C. Justin. d. Tut. vel Cur-  
rat. illustr. vel Clarissim. Person. ubi loco illustris reposuit illustris  
bus & parvulis adultisq; addidit Clarissimus quoad ipsam dispositio-  
nem verbis: ut quem catus ille administrandis negotiis dignissimum  
judicarit sola sententia obtineat præfecturæ l. 3. C. Th. addit in d. l. i.  
Super cuius nomine solennitate servata postea per Prætorem interpo-  
natur decretum. Et vult Justinianus post Præf. Urb. Sententiam Præ-  
toris decretum sequatur, cum secundum leges veteres decreto opus  
non fuerit, sed soli sententiæ Præfecturæ acquiescendum erat, quod  
Saliceto mirum videtur, cur aliud nominatum confirmet, & aliud ei  
administrationem decernat?

XII. Debitores pariter ac Creditores pupillorum à Tutelâ re-  
pelluntur, nè si Tutor sit Creditor pupilli apochas aliasq; semel for-  
san solutæ pecuniæ probationes intercipiat, atq; ita pupillus defen-  
sionibus & exceptionibus suis privetur N. 72. c. 4. & 5. Auth. min. C.  
Qu. dar. Tut. vel Cur. poss. aut si sit debitor, pupilli chirographa,  
instrumenta autalias probationes subtrahat. Excipitur tamen debitum  
vel creditum notorium, vel si Tutor Creditum Inventario inseren-  
dum curavit, vel statim Creditum vel debitum denunciarit, quæ de-  
nunciatio Tutori incumbit etiam durante Tutela acquisitò debitò  
quodam fortè ex cessione, hereditate, vel alio titulo, nè in aliquam  
suspicionem incidat, quæ enim causa locum dedit Sanctioni Justinia-  
ni de amittendo credito à Tute non manifestante illud, ea ipsa-  
quoq; in hoc casu est ut præsumatur Tutor male in re pupilli grassari  
qui clam & occultè Creditum acquisivit Salicet. in d. Auth. min. n. 3.  
Carpz. l. 5. Respons. 88. n. 14. & seqq. Nec is Creditor à Tutela re-  
pellitur, quem defunctus Testator scivit esse Creditorem cuius fidem  
approbasse videtur Berlich. 257. n. 18. Carpz. Dec. illustr. p. 2. d. 119.  
Inter casus exceptos est etiam is, quando durante administratione Tu-  
tor aliquid impendit, & necessitate vel utilitate pupilli exigente Cre-  
ditor factus est Berlich. p. 2. Dec. 257. n. 22. Brunnem. ad l. Credi-  
torem 8. C. Qui dar. tut vel Cur. poss.

XIII. Administrationem Tutorum præcedit (i) juramentum  
quod primùm a Justiniano introductum est, N. 72. c. ult. Rittersb.  
ad N. p. 8. c. 5. & jàm à foro nostro recessit, quia Tutores fideles  
& im-



& industrii etiam sine juramento ritè suo funguntur officio, perfidi  
vero iniqui & desidiosi magis de evertenda & dissipanda pupilli sub-  
stantiâ inq; suos usus convertenda jurant, quām de fideliter admini-  
strandâ & conservandâ, qnod de juramentō calumniæ asserit Marant.  
d. ord. iud. p. 6. memb. 10. act. 1. n. 11. dicens: *jurant potius de ca-  
lumnia committendâ, quām omittendâ.* (2) Satisdatio quæ est cautio  
fidejusoria, quia prō incertâ quantitate exigitur l. 7. ff. d. Præst. stip.  
junct. l. 52. n. d. V.O. N. 94. & Tutores carent rem ejus cuius Tute-  
lam gerunt salvam fore, hinc contra Fidejusores Actio ex stipulatu  
l. 1. n. Rem. pup. salv. fo. quanquam hoc onus Satisdatio non o-  
mnibus incumbat. Testamentarii enim non satisdant, quia fides illo-  
rum à Testatore electa pr. j. d. Satisdat. Tut. non Codicillarii l. 13.  
ff. d. Testam. Tut. Non dativi cum inquisitione, quia fides inquisitio-  
nis prō vinculō cautionis valet l. 13. §. ult. d. Confirm. Tut. Sed hæ  
Exceptiones in Constit. Imperii non observantur, quæ omnes indi-  
stinctè ad Satisdatio adstringit d. A. 1548. tit. Bon Pupillen it.  
d. Ann. 1577. (3.) Decretum Judicis competentis quo facultatem ap-  
prehendendi possessionem administrationis consequitur l. 3. §. fin. d.  
Adm. & peric. Tut. l. 4. in pr. l. 6. d. Auth. Tut. si enim quis sine de-  
creto Tutelæ administrationem suscipiat, quomodo magistratus eum  
negligentem officii sui admonere, suspectum ad rationes reddendas  
compellere, vel sotentem punire potest? (4) Confectio Inventarii sine  
quō Tutelæ administratio non rectè suscipitur l. 7. ff. d. Administr.  
Tut. quia illud tam è re Tutoris est, ut quid sibi administrandum,  
quām è re pupilli, quid sibi restituendum uterq; sciat. Clariss. Strauch.  
Diss. 5. θ. 21.

XIV. Administratio Tutorum circa personas pupillorum con-  
sistit vel in eis educandis vel in integrandis. Ad Educationem refe-  
runtur alimenta quæ ad viētum necessaria sunt l. 1. §. 19. n. d. Vent.  
in poss. mitt. quod si non habeat pupillo unde alatur, Tutor quidem  
eum non tenetur alere, tenetur tamen pupillo autoritate Magistratus  
petere ab iis qui jure sanguinis ad id tenentur, vel quibus charitas san-  
gvinis onus alimentandi injungit l. 5. §. fin. d. Agnosc. & alend lib.  
patri nempe vel matri, deinde proximis Consangvineis arg. Auth.  
post fratres C. d. Legitim. hered. sicut vice versâ Tutor potest de bo-  
nis pupilli divitis alere patrem & matrem l. 5. §. 13. d. Agnosc. vel. al.  
Lib.



*Lib. l. 1. §. 2. & 4. d. Tut. Rat. distrahit. sed & fratrem & sororem arg.  
l. 12. §. 3. in f. d. Administ. Tut. l. 73. §. 1. d. jur. dot: Potest etiam pa-  
rentibus & Cognatis solennia munera mittere quæ *χαρίσια* vocan-  
tur, de quibus Poëta 2. Fast:*

Proxima Cognati dixerit *χαρίσια* cari.

Item. Cara daret solenne Tibi *χαρίσια* munus.

Erant convivia solennia quibus præter parentes Nemo intererat, &  
quasi parentalia quædam, quia & in iis omnium carorum cognato-  
rum jam vitâ defunctorum nomina ciere solebant i.e. Τα ὄφειλόμυρα  
& præter convivium quô Cognatorum quisque suam vicem neces-  
riò subibat, etiam ut moris erat singulis convivis apophoreta daban-  
tur aut mittebantur *Cujac. ad l. 12. §. 3. d. Adm. Tut:* Nec videtur im-  
necessarias personas expendens liberalitatem exercere, sed magis de-  
bitum solvere *Munoz de Escobar tr. d. Ratiocin: administ: c. 22. n. 44.*  
ita tamen ut hæc omnia moderatè fiant, ne longi temporis vici-  
brevis hora consumat. Medicamenta etiam in ægrum pupillum co-  
llata in rationes alimentorum computari posunt *arg. l. 3. C. d. Ad-  
min. Tut. l. 10. §. 16. C. d. N. G.* licet aliàs alimentorum nomine non  
veniant *l. 5. d. pen. leg:* (2.) Emendatio morum *l. 12. §. 3. d. Admin.*  
*Tut. l. in copulandis C. d. Nupt.* ideò præceptis bene vivendi & studiis  
animū pupilli imbuere pròqve informatione fideli mercedes non mi-  
nimas sed prò facultatibus patrimonii & dignitate natalium solvere  
potest *l. 12. §. 3. d. Administ. & peric. Tut. l. 3. §. 1. l. habitatio in fine*  
*d. Vent. in poss. mite.* Potest etiam degeneres castigare quia castiga-  
tio est morum medicina *l. un. C. d. Emend. prop.* & quamvis dura  
quædam verba in pupillum dixerit animo corrigendi non vero inju-  
riandi id facere præsumitur neqve ullà injuriarum Actione tenetur.  
*arg. l. 5. §. ult. l. 6. Ad L. Aqu. l. 13. §. 4. Locat. l. 13. §. 1. d. Injur. (3.)*  
*Defensio l. 1. §. 2. l. 30. π. d. Administ. Tut. l. 6. C. eod:* ita ut aggresso-  
rem pupilli vel raptorem pupillæ suæ in ipsò actu deprehensum occi-  
dere possit *Bald. in l. raptores n. 2. C. d. Episcop. & Cler:* In integran-  
dis personis præstanda est authoritas *l. 3. π. d. Auth. & conf.* quæ ne-  
cessaria est in negotiis in quibus pupilli conditio fit deterior; In ne-  
gotiis vero in quibus pupilli conditio fit melior, distinguitur aëtus,  
qui vel potest celebrari nè obligetur pupillus, & tum prorsùs non

B

requi-

requiritur pr. j. d. Auth. Tut: vel non potest celebrati quin is obligetur, & hoc casu sine autoritate Tutoris peragi nequit §. i. j. d. t. l. g.  
§. 3. n. eod.

XV. Administratio Tutorum circa res pupillorum consistit in obligatione ad praestandam eam diligentiam quam bonus paterf. suis adhibet rebus l. g. n. d. Admin. N. 72. c. 8. quantum enim ad providam curam rerum pupillarium Domini loco habetur l. 27. n. d. Admin. §. peric. pecuniam pupillorum utiliter tenetur impendere in praedia quorum fructus usuris pecuniae respondent l. 5. §. 15. n. d. Administ. Debita pupillorum exigere non tantum ab extraneis sed etiam a se ipso l. 5. §. 4. d. Admin. l. 5. n. d. Tut. Aet. l. Tutor 69. pr. n. d. Fidejuss. potest quoque pecuniam non tantum alii credere, sed etiam ipse eam mutuo accipere, modò palam & b. f. id faciat l. 54. n. d. Administ. quia clandestina tantum fraudis sunt suspecta. Necesitas tamen fenerandi est remissa N. 72. c. 6. quia experientia docet melius esse sortem servare, quam eam cupiditate usurarum perdere. Imo Tutor omnia facere & gerere potest quae pupillo & rebus ejus conservandis necessaria & utilia sunt v. g. ædes pupilli reficere l. 9. in pr. d. Administ. novare l. 22. eod. pacisci l. 58. §. qui Tutelam n. d. Furt. transigere ex decretô magistratus quod sine causæ cognitione non est interponendum l. 8. §. 17. d. Trans. ubi considerandum an salutaris sit pupillo nec ne? an omnia transactionis requisita concurrant l. 8. §. 8. d. Trans. alias decretum ipso jure nullum est l. 5. §. 14. d. Reb. eor. qu. sub Tut: l. 8. §. 17. d. Transact. Eodem modo possunt compromittere si pupilli jura obscura sint l. 35. n. d. Recept. l. 34. §. 1. d. Min: quanquam Bachovius hanc potestatem Tutoribus denegat ad Treutl. vol. 2. Disp. 8. lit. F. rationes tamen ab eo allatae non sunt stringentes non prima, quia arbiter saepe citius expedit causam quam judex nec secunda quia licet pupillus efficaciter conveniri nequeat, potest tamen cum Tute vel Curatore laudo non parente sed contraveniente ex stipulatione poenali agi. Si Tutor in judicio in causa pupillari victus, si gravamen irreparabile allegare potest, appellare debet l. 11. C. d. Administ.

XVI. Ex persona pupilli finitur Tutela (1.) pubertate pr. j. Quib. mo. Tut: fin: l. 3. C. Qui Tut: ess. desin: hac superveniente Tutor cogi nequit ad suscipiendum judicium vel agendo vel defendendo

l. 28.



*l. 28. in pr. n. d. Adm:* si tamen durante Tutela lis sit copta, & neqve rationes neqve instrumenta ad causam pertinentia reddita sint, fidei & verecundiæ Tutoris convenit ut consilio suo cæptam litem perficiat *l. 5. §. 6. d. Admin.* *l. 24. §. fin. l. 27. n. d. Appellat:* nisi ipsi adulti causam suam persequi vellent *l. 28. §. f. n. d. Appellat.* quia Tutor in favorem pupillorum litem persequi jubetur, cui renuntiari potest, cum Nemo invitus cogatur causam suam alienæ fidei committere, ideo pubes factus potest saltem alium Curatorem ad litem petere. (2.) qualibet capitum diminutione etiam minima, quia redigit pupillum in alienam potestatē *l. penult. §. ult. C. d. Adopt.* *l. 6. in fin. l. 14. in fin. d. Tut:* Ex personā Tutoris (1.) capitum diminutione maxima & media *§. 1. J. d. t.* minimā capitum diminutione Legitima Tutela tantum perit *l. 7. d. cap. min. deinde vero ex N. 118. c. 4.* quoqve mutatum quia etiam Cognatis ex prioritate gradus Tutela defertur, & ex ea Agnatis Cognati ex gradus prærogativā in jure successionis præferuntur, arrogatus utiqve gradum non mutat sed cognatus maneat, manente verò cognatione tanquam causa & fundamento, rationi adversaretur, Tutelam initio recte constitutam finiri. Testamentariam capitum diminutione minima non tolli docent *l. 9. D. d. his qui sui vel al. jur. pr. Tit. j. qu. Testam. Tut: p. l. 5. §. ult: l. 6. D. d. Cap. min. junct: pr. Tit. j. d. Excusat:* Tut: cum quibus non pugnat Exceptio *l. 7. pr. d. cap. min.* An verò Tribonianus aliquid in hac Lege ex jure novo adjecerit? an quid expungendum? an vero addendum docent Treutl. vol. 1. Disp. 11. θ. 16. Et ibi Bachov. Melius sentiunt, qui cum Cujac: 9. O. 17. Et not. ad fragm. Ulp. t. 12. errorem ex siglis veterum natum esse putant, cum ita scriptum esset *I. A. P. P. Jure Agnationis proximis potissimum deferuntur.* Tribonianus alia verba aliumqve sensum posuit, sicut in Disp. 1. θ. 7. dictum. (2.) Remotione à Tutela *§. ult. j. Quib. mod. Tut: fin.* (3.) Existentia conditionis vel temporis perit Tutela Testamentaria, non dativa quæ diem & conditionem non recipit *l. 14. in fin. d. Tut: l. 8. §. 1. d. Testam. Tut: l. 3. §. 1. d. Admin. Tut:* Communiter alias Tutela finitur morte alterutrius vel utriusqve *§. item finitur j. Quib. mod. Tut:* ita tamen ut mortuo Tute pupillus alium Tute aliunde accipiat, cum Tutelæ onus non transeat in heredes *l. 16. d. Tut:* mortuo verò pupillo tollitur causa finalis, sicque Tutela prorsus extinguitur.

XVII. Excusatio ad modos finiendi refertur à Treutl. V. 2. D. 8.

¶. 7. l. G. quānquam non adeo finiatur quām delata declinetur, solet definiri quod sit Tutelæ quæ jure delata est iusta deprecatio Donell. l. 3.  
e. g. Jure veteri distinguebatur inter cessionem & abdicationem à Tutelâ, ut Ulp. frag. tit. II. ait: Legitimus Tutor in jure cedere potest, abdicare se non potest, opponuntur sibi invicem abdicare & cedere, cum aliâs paria sint l. 66. n. d. jur. dat. quod observatum usq; ad Claudium Imperatorem. Is enim postea Lege promulgata muliebris Tutelæ Cessionem sustulit, & legitimæ tutelæ muliebris onus penes Agnatum proximum, cui femel delata, permanere voluit l. 2. C. Th. d. Tut. & Cur. creand. & ita distinctione inter abdicationem & Cessionem sublata Excusatio ad omnes Tutores tam Legitimos quam Testamentarios & dativos extensa fuit; sed diversimode, Nam legitimis Tutoribus ab ipsa Constitutione quæ Lege fit nunquam statim appellare licuit, quia ab eō quod Imp. statuit, vel quod Lege est constitutum, appellare non licet l. I. §. 1. A quib. app. non lic. l. ult. §. 1. d. Appellat. recip. vel non Excusabant se per modum simplicis querelæ. Sed dativi & Testamentarii hoc modo se excusare non poterant sed per viam duntaxat appellationis. Postea vero D. Severus & M. Antoninus constituerunt, ut neq; dativi neq; Testamentarii teneantur provocare, sed per modum simplicis querelæ non minus quām Legitimi se excusare l. 16. d. Excusat. l. I. §. 1. Quand. appell. sit §. 16. j. d. Excus. Tut. ubi dicitur hodie non appellare, qui se excusare volunt, siquidem omnis ista appellatio si quæ & olim à decretò suscepta propter excusationis allegationes, proculdubio apud superiorem edocendas, interposita est, ideo Justin. hunc excusandi modum præscriptum præcise voluit observatum.

XVIII. Lex. 6. §. 8. D. d. Excusat: ait Constitutione existentes bonores & immunitates esse firmatas philosophos, Rethores Grammaticos Medicos immunes esse Gymnasiis Sacerdotiis stantes in Basili. ιερούντις. Grotio in fl. spars. legendum videtur Sacerdotiis. Versio latina Basiliæ. habet, Gymnasiarchiæ, Curationis, Annonæ, Sacerdotii: ιερούντις munus explicatur in l. I. C. d. Nat: Lib: per Phæniciarchiæ vel Syriarchiæ ornamenta; qui sacerdotio fungebantur pro Salute sacra procurabant &c. de quorum officio Panciroli. in Notit. Imp. Orient. c. 105. iterare illud Nemo prohibetur l. 17. in pr. d. mun. Et hon:

**G**bon: contra leges tamen sub pena infamiae & 100. aureorum petere non licet l. un. π. d. L. Jul. Ambit: Reliquæ causæ Excusationum ex t.t.j. π. **G** βασιλ. peti possunt, quibus tum suscepta tum suscipienda Tutela finitur Treutl. vol. 2. D. 9. θ. 1. 2. & 3. ibid Bach.

XIX. Finita Tutela ad administrationis rationes reddendas Tutores tenentur l. 1. §. officio π. d. Tut. & rat. distr. cujus rei necessitas favore publico introducta privatorum pactionibus remitti nequit l. quidam decedens in versi: *Nemo enim π. d. Admin. Tut. Ruin. conf. 54. n. 12. Damb. d. Tut. c. 3. Covarr. l. 2. var. Resol. c. 14.* Si tamen remittatur à parente, Remissio hæc non omni juris effectu destituitur, sed hoc operatur, ut licet ab Actione in Rem, reliquorum restitutione, dolo vel latâ culpâ non liberetur, tamen ratione negligentiæ scrupulosa nimisq; curiosa inquisitio cesset l. *Si Servus vetitus π. d. Leg. I.* ubi Marcianus inquit, *Si Servus vetitus est à Testatore rationes reddere non hoc consequitur ut quod apud ipsum est reliquum, omnino non reddit, sibiq; lucrificiat, sed tantum hoc consequitur ut scrupulosa nimisq; curiosa inquisitio non fiat h.e. ut culpæ levis & levissimæ seu negligentiae ratio non habeatur. Imo etiamsi Testator dicat. Volo Tutorem non posse cogi ad rationes, nec quovis modo vexari aut turbari, tamen hæc verba saltem referenda essent ad vexationem injustam & malitiosam, non vero ad justam & legitimam.*

XX. De matre Tutrice disponit Lex quod si ad secunda vota festinârit statim Tutelæ administrationem amittat, & ab ea ratio administrationis exigi queat l. omnem C. ad SG. Tertull. non vero sufficit ad petendas rationes à matre eam sponsalia contraxisse, sed opus est ut nuptiæ sequantur & in domum mariti deducatur Menoch. l. 2. d. arbitr. quest. c. 151. n. 8. Pupilli peregrinantis longa absentia cum publica mortis fama obstringit Tutores rationes proximis heredibus reddere, & bona pupilli restituere, ut dividantur inter venientes ab Intestato præstata cautione de restituendis iis reversuro Bald. conf. 90. admonet vero Munoz. de Escobar. d. tr. c. 6. judicem ut sit cautus in adjudicando talia bona propinquioribus sub dictâ cautione, nè aliquò eorum existente non solvendo ipse de suo solvere teneatur l. Lucius §. Sempronii π. d. Admin. Tut. Bannitus Tutela durante ad rationes reddendas statim obstringitur arg. l. *Si Tutor*

*Reip. causa S. f. n. De Tut. Grat. distrab.* Hodie etiam durante Tu-  
telâ universaliter est receptum ut exemplo aliorum Administratorum  
quot annis cogantur rationes reddere Policey Ordnung zu Franckfurth  
de Anno 1577. tit 32. Jährlich nicht allein auff Erforderung der Obrig-  
keit/ sondern auch selbst vermöge seines abbefohlnen Amtes auch ges-  
leisteten Pflichts und Endes gebührliche Rechenschaften anbieten und  
ihm unab seine Verwaltung Rede und Antwort zu geben. Quod etiam  
Jure Canonico & Saxonico receptum Clem. 2. §. 1. d. Relig. dom.  
Sax. L. 1. a. 23. Fachs. d. diff. Jur. Civ. & Sax. L. 1. c. 17. Jure Pru-  
ten. quotiescumq; pupillorum propinqui magistratus rogaverint L. 2.  
T. 6. A. 12. §. 2.

**XXI.** Quando vero Tutor omnium gestorum & omissorum  
rationes reddere nequit secundum l. 1. 9. §. 2. l. 18. in fin. d. Tut. &  
rat. distrab. si in morâ collocandi pecunias pupillares fuerit, nec  
sciens prædia vel annuos redditus venales emerit Covarr. l. 3. var. Re-  
sol. c. 2. si prædia locare neglexerit, domum non refecerit, agrum  
vel vineas non coluerit, vel horrea in quibus triticum reconditum  
putrefactum sarta tecta non habuerit, aut aliud quodcunq; damnum  
ex incuria dederit l. lex que Tutores C. d. Administr. Tut. tum o-  
mnia Tutorum tacite oppignorata sunt l. 20. C. d. Administr. l. fin. C.  
d. Legitim. Tut. uti id ipsum manifestè innuit l. 1. C. Th. d. Admi-  
nistr. & peric. Tut. cujus verba: *Prô officio Administrationis Tutoris*  
*vel Curatoris bona si Debtores existant tanquam pignoris titulo obli-*  
*gata minores sibimet vindicare minime prohibentur.* Hæc verba in  
l. 20. C. Justin. eodem repetuntur iisq; subjiciuntur sequentia: Idem  
est et si Tutor. vel Curator quis constitutus res minorum non admi-  
nistrârit. Imò in inscriptione quoq; C. Just. additum Eufemianæ.  
Nec tantum hypotheca competit respectu bonorum in Inventario  
conscriptorum verum etiam ratione fructuum & redditum, ita ut  
potiùr in Sorte prior sit in Sortis Interesse Alex. in l. Si cum dotem  
§. Sin autem n. Sol. matr. & possit talia bona quæ Tutor post su-  
ceptam & rationibus oneratam Tutelam alienaverit repetere prævia  
tamen facta excusione in bonis Tutorum, quia ejusmodi præmium  
alienatum in Emptorem non aliter quam vitio hypothecæ ratione  
sortis & Interesse affectum transit l. un. C. Rem alien. gerent, Covarr.  
l. u. var. c. 8. n. 5.

**XXII.**



XXII. Accusari possunt omnes Tutores & ab omnibus §. 2.  
j. d. Susp. Tut. l. i. §. pen l. 7. π. eod. Regulariter remoti ob culpam  
non sunt infames l. 3 §. fin. l. 7. §. 1. π. d. Susp. Tut. excepto casu l. fin.  
C. Arb. Tut. Wesenb. add. t. n. 8. Vultej. 1. J.R. 25. n. 48. & ad pr. j. d. t.  
Non obstant l. ult. D. Ilbi pup. educ. l. 42. d. V.S. l. 39. §. fin. d. pro-  
cur. Disentit Bocerus class. 2. Disp. 14. θ. 135. Remotus ob dolum fit  
infamis §. 6. j. d. susp. Tut. Si judex causam Remotionis sententiæ  
non inseruerit, remotus integræ manet famæ, imprimis verò in re-  
motione Legitimorum doli moli mentio injicienda non erit, sed po-  
tius negligentiae vel rusticitatis causa adjicienda l. 4. §. 2. π. d. t. An  
vero doli nomine etiam lata veniat culpa ita ut ob latam culpam  
Tutor remotus fiat famosus? communis est negativa, quia causæ  
graves & famosæ criminalibus comparantur, cum honoris non mi-  
nor quam vitæ ratio habenda sit l. isti 8. §. quod si 2. Qu. me. cau. l.  
justa 9. in pr. l. etiam 15. §. 1. d. man. vind. In criminalibus autem  
non æquiparatur lata culpa dolo l. 7. Ad L. Corn. d. Sic. & distingui-  
tur passim à dolo l. quidquid 7. C. Arbitr. Tut. l. is qui 2. C. d. in lit.  
jur. l. 1. C. Depos. vel contr. l. 20. C. d. N. G. Videtur quoq; hanc sen-  
tentiam probare §. 6. j. d. t. ubi in genere Imp. ait: Tutorem suspe-  
ctum ob culpam remotum non fieri famosum, quod vero de generè  
dicitur, id in omnibus partibus gradibus & speciebus valet Everh.  
in Top. à generalitate n. 1. & 2. Deniq; in dubio benignior interpre-  
tatio est præferenda l. semp. 56. π. d. R. I. c. odiad. R. J. in VI. Con-  
trariis argumentis respondet Ungep. E. 4. q. 17.

XXIII. Cura est vis & potestas administrandi bona ejus qui  
ipse ob ætatem vel animi corporisvè vitium ea administrare nequit,  
differt à Tutela (1) Objecto quia Cura non personam ita ut Tutela  
sed magis bona respicit. (2) Subjecto datur ob ætatem puberibus mi-  
noribus 25, ob vitium corporis laborantibus perpetuo morbo e. g.  
surdis mutis. Ob vitium animi prodigiis quibus præcedente cognitio-  
ne magistratus bonis est interdictum, qui recipientes sanos mores de-  
sinunt esse in potestate Curatorum l. i. π. d. Cur. Fur. nec non furio-  
sis qui quadam animi rabie aguntur §. 3. j. d. Curat. (3) Termino quia  
finitur anno demum 25, in quô mares & fœminæ conveniunt, quia  
cur fœminæ citius pubescant ratio physica reddi solet hæc; quoniam  
non caloris nimii sed naturæ infirmioris sunt, ut exilia poma ce-  
lerius



lerius mitescunt, robusta serius, ita citius admoveantur nuptiis, quārum causa termini pubertatis præcipue sunt constituti *Macrobi. 7.*  
*Sat. 7.* dicitur de fœmina eam se habere passivè, & facilius esse pati quam agere. Ut autem citius liberari debeant Cura, nulla ratio fuit quia propter infirmitatem consilii rationis videri poterat, eas diutius sub curā detineri; Hic terminus est ordinarius, potest tamen minor veniam ætatis à Principe impetrare t. t. *C. Qu. ven. atat. impetr.*

XXIV. Regulariter inviti Adolescentes non accipiunt Curatores §. 2. j. d. *Cur.* quod *Treutl. V. & D. d. 8. lit. A.* à Triboniano ex L. Lætoria loco, inspersum esse statuit, quæ etiam est sententia *Cujacii ad l. i. d. Excus. Tut.* Et ergo existimat *Treutl.* jure nostro ex Constitutione D. Marci cuius meminist *Ulpian.* in *l. i. d. min.* omnibus minoribus indistincte dari Curatores, quæ conjectura inde suum robur habet quia olim *Cujac.* & *Gottofr. testibus ad l. i. d. min.* ex L. Lætoria adolescentibus Curatores non dabantur, nisi ob lasciviam dementiam vel prodigalitatem *test. Jul. Capitolin.* in *vit. Marci Imp.* Cum igitur eorum qui Curatores accipiebant existimatio periclitatur, quasi prodigorum suisq; rebus non rectè consulentium abrogatà L. Lætorià D. Marcus constituit, ut Curatores citra causam maiorum morum & prodigalitatis omnibus dentur adolescentibus etiam bene rem suam gerentibus *Capit. d. l.* Verum ut etiam inviti fuerint coagi indistincte Curatores accipere obstat ait *Bachovius ad Treutl. d. l.* quod omnium judicio multi textus juris nostri non nisi de minoribus, qui Curatores non habent explicari posunt, ut necesse sit etiam post Constitutionem D. Marci quosdam minores sine Curatoribus fuisse. Hinc in *l. 3. C. d. Restit. in integr.* circa validitatem actus distinguitur, an minor habeat Curatorem nec ne? quod vitiosè fieret si minores necessario sub Cura essent. Et in *l. 7. §. 2. d. Rest. min.* & in *l. i. C. Qu. pet. Tut.* in casibus singularibus jubentur petere Curatores, si sunt litigaturi §. 2. *præterquam in item. j. d. Cur.* quia minor non habet legitimam personam staudi in judicio *l. ii. C. Qu. leg. pers. stand.* Si minori debitor velit vel cogatur solvere *l. 7. §. 2. d. min.* si is qui Tutor fuit rationes reddere velit minori *l. 7. C. Qu. pet. Tut. vel Cur.* *Ludolph. Schrader in tract. Feud. part 10. sect. 19. n. 201.* Unde dicitur non nisi volenti & præsenti posse peti Curatorem *l. 43. §. 3. d. Prog. Dissentivit d. Treutl. Jacob. Rævard.*

lib. 1.



lib. 1. var. c. 17. Anton. Matthaeus in not. ad d. §. 2. j. & Dominie.  
Arum Disp. π. 4. q. 18.

XXV. Legitima ætas est 25. annorum dicta Lege Lætoria definita, unde Lex Quinavicensis dicta Plauto in Pseudolo: ubi Callidorum adolescentem sic loquentem facit. Nimis sum miser: nummum nusquam argenti reperire queo. Ita miser & amore pereo, & inopia argentaria perii, annon? tam Lex me perdit quina vicentia. Metunt credere omnes. Hujus Legis tria recensent capita Gothofred. ad L. 2. C. Theod. d. Donat: & Hottom: in ind. Legum Romanarum: Primum in præced. θ. dictum ut Curatores minoribus 25. annis darentur, si lascivi essent, si dementes: Capitulinus M. Antonino. De Curatoribus cum antea non nisi ex Lege Lætoria vel propter lasciviam vel propter dementiam darentur ita statuit, ut omnes adulti Curatores acciperent, non redditis causis. Secundum. Neminores 25. annis stipularentur i. e. spondendo se obligarent; passim stipulari ēπεισώλαθται, pariter ut l. ult. π. d. Admin: Tut: Sueton: lib. 4. Priscian. lib. 8. & 18. quō spectat Plauti d. l. in act. 1. sc. 3. v. 68. & Act. 5. sc. 3. v. 25.

Cedo, qui cum habeam judicem  
Ni dolo malo instipulatus sies, nive etiam dum siem  
Quinqve & viginti annos natus.

Unde apparet Lege Lætoria fuisse cautum, ut creditor qui minori 25. annis credidisset, creditum amitteret. Atqve hæc illa est circumscripicio adolescentiæ quæ Lege Lætoria plectebatur publico judicio teste Cicerone 3. offic. & 3. d. Nat. Deor: quod tertium caput Legis Lætoriae observat Gothof. d. l. Et ab hac tandem lege dicta est Legitima ætas, ita enim 25. annorum ætas appellatur in l. ex duobus π. d. N. G. l. quæro in fin. π. d. Testam. l. 1. D. d. Fidejus. Tut: l. cum patet §. Curatoris D. d. Legat. II. l. Aurelio §. 1. D. d. Lib. leg. l. ult. §. Divus D. d. Publican. l. si fidejusfores D. d. Fidej: l. ult. in fin. D. d. Appellat: l. pen. C. Quand. di. Leg. ced: & is demum legitimæ erat ætatis, qui annos Lætoriae Legis egressus quod manifeste probat l. 2. C. Theod. D. Donat: cuius verba: Si quis in emancipatum minorem priusquam fari posse, aut habere rei quæ sibi donatur affectum, Italicum sive stipendiarium fundum crediderit conferendum, omne jus

compleat instrumentis ante præmissis & iudicatione corporaliter im-  
pleta. Quod propter adtestationem fidi, per eum Servum quem  
idoneum esse constiterit, transfigi placut: Qui eò usq; in statu suo  
permanebit, donec is cuius facultarius cesserit annos Lætorie Legis  
egressus legitimam compleverit ætatem. Talibus conjecturis Bris-  
sonius Select: ex Jur. Civ. Antiq. lib. 3. c. 2. adductus ad suspicandum  
id quoq; eā Lege cautum fuisse, aut nisi Lege expressum fuit ex  
sententia ejus arreptum, ut adolescentibus rerum suarum admini-  
stratio tum demum cum ad vicesimum quintum annum pervenis-  
cat committeretur. Ei quoq; videtur ex hac Lege descendisse  
tempus in integrum Restitutioni statutum quod & idcirco  
legitimum appellatur in l. interdum D. d.  
Min.



Kc 3004

ULB Halle  
003 757 714

3



Bitte nach Ausleihe an  
Frau Richter 1  
Sammelbd. ? oder  
Ludwaffene Werte ?

10.02.12






# Farbkarte #13

B.I.G.

Black	
White	
Magenta	
Red	
Yellow	
Green	
Cyan	
Blue	



N. J.  
TATIO V.  
STARUM  
ESIUM  
RTI & CON-  
VERSI  
. & seqq. usq; ad finem  
is π. C. Justin. Theod.  
respondentibus.  
Duam  
ESIDE  
E CHRISTO.  
O *Sol* /  
D. & P. P.  
CUS von Lohen/  
st. Prusfus.  
ONDENS  
defendet  
ORIO MAJORI  
cc. LXXX.  
OMONTI.  
CUSNERI, SER. ELECT.  
D. TYPOGR. HÆRED.